

# LOTHARII III IMP. CORONATIO ROMANA.

Anno 1133, Jun. 4.)

[PERTZ, *Monument. Germ. Hist. Leg. t. II, pag. 81.*]

*Sententiam in Anacletum papam a principibus regni prolatam ex Dacherii Specilegio t. III, p. 485, 486, et Schatenii Ann. Paderb. p. 750, qui apographo Baluzii usus est, proponimus. Juramentum a Lothario in coronatione sua præstitum jam pridem a Baronio editum exscripsimus ex Cencii libro censuum in Archivo Vaticano mbr. anni circiter 1400, fol. 1331.*

## IN ANACLETUM PAPAM SENTENTIA.

Lotharius Dei gratia Romanorum rex, regibus, archiepiscopis, episcopis, principibus, et universis Dei fidelibus, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem.

Majestatis divinæ dispensationi et consilio placuit nos patronum ac defensorem sanctæ ecclesiæ Romanæ statuere, ideoque necesse habuimus pro ipsius liberatione propensius laborare. Cum igitur ascitis nobis archiepiscopis, episcopis et abbatibus, principibus, ducibus, comitibus et marchionibus regni nostri; episcopos etiam, comites, et alias barones Italæ nobiscum ducentes, bellico apparatus stipati, ad Urbem proficeremur, nuntios schismatiæ illius Petri Leonis frequenter habuimus. Qui nimur ex parte illius justitiam prætendentes, ipsi in jus ire parato non debere audientiam denegari, nec hostilibus impugnationibus molestari, publicis clamoribus asserebant. Diutinis ergo eorum interpellationibus provocati, idipsum episcopis et cardinalibus, qui cum domino papa Innocentio erant, significare coacti sumus. Ipsi vero, tamquam canonistarum sanctionum et institutionum ecclesiasticarum non ignari, universam Dei ecclesiam jam super hoc promulgasse sententiam, Petrum Leonis ac complices suos damnasseasserentes, quod erat universitatis non debere privatum fieri responderunt.

Nos autem idipsum cum patientia supportantes, et patrem nostrum papam Innocentium ad Urbem cum gloria duximus, et Lateranensi cathedræ restituimus, atque in monte Aventino castrametati sumus. Ibique Petrus Leonis aures nostras, et principum nostrorum, per Petrum olim Portuensem

A episcopum, et per alios fautores suos prætendendo justitiam, sollicitare non destitit. Qui etiam, munitiones et obsides se nobis daturos ad sufficientiam pro servando judicio, et viva voce et litteris promiserunt. Pacem igitur sine effusione sanguinis reformare in Dei ecclesia cupientes, quæ nobis illi dixerant, fratibus qui cum domino papa Innocentio erant per nos ipsos significavimus. Cæterum ipsi, utpote pacis amatores, de justitia cónsidentes, tam personas suas, quam Leonis, et filiorum suorum, neconon Centii, Petri Frajapanis, et Petri Leonis, et munitiones in manu nostra libere obtulerunt. Adversa vero pars dies redimere cupiens, sub velamine fraudulentarum promissionum nos aliquanto tempore a nostra intentione retraxit. Tandem quia ipsi sèpe commoniti, implere quod promiserant noluerunt, tamquam fallaces et perfidi, et tam divinæ quam regiæ majestatis rei, cum Petro Leonis ejusque complicibus damnati sunt, et hostes a principibus nostræ curiæ judicati, videlicet Northerto Magdeburgensi cancellario nostro, et A. Bremensi (12) archiepiscopis et D. Osemburgensi, B. Padelbronensis, An. Brandenburgensi, et B. Parmensi, R. Albensi, O. Astensi, O. Cremonensi, G. Yporiensi, episcopis, et abbatibus, Henrico Fuldenensi, Alberone Noemburgensi, et Luneburgensi: procuribus, Alberone et Henrico marchionibus, Othono, Sigifredo vexillifero, Herimanno, Wilhelmo de Lomello, Gothone de Marchuingo, Hildebrando, et Tancredo de Prato comitibus, et Alberto de Castello.

(12) Adalbero archiepiscopus Bremensis erat Dethardus episcopus Osnaburgensis, Bernhardus Paderbornensis, Anselmus Havelbergensis.